



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

IV. Aistvlphvs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

B. Lulli Hermannus ad S. Gothardum Ord. D. Benedicti Abbas Collegio Soc. Jesu Moguntia inter reliquias sacras servandum donavit, Hildesia translatum an. 1603.

III. RICHOLPHVS.

Richolphi post D. Bonifacium Moguntia Archipræsulis secundi, quamvis natales & acta prima lateant, minimè latent tamen gesta & fata ultima. Regi & demum Imperatori Carolo M. à consiliis constanter, id bene meritis suis impetravit haud difficulter, ut Cæsaris interventu Pontifici placuerit Archiepiscopus, cuius difficile munus ea methodo obist, ut à quo reprehensus sit, non invenias, à quo laudatus fuerit, etiam hodie nullo labore reperias. Ad amissim verò ut fierent omnia à subjectis Richolpho Episcopis & Sacerdotibus, nec deesse passus est monita, nec præcepta Ecclesie Romanæ autoritate præmunita: unde ex Hispania Moguntiam usque transferri curavit Canones Pontificios Isidori Mercatoris operâ eleganti ordine donatos. Quò magis verò constaret omnibus ritè de Ecclesie legibus, an. 813. Moguntia Synodum celebravit, & alteri Synodo Wormatia celebratæ interfuit. Circa eadem tempora DD. Aurei & Justinæ sacras reliquias populo visendas & honorandas proposuit, simulque D. Albani honoribus dicatum templum magnificentissimè extruxit: dein verò quocum consilia vivus conferebat, cum eodem Imperatore mortis sententiam sustinuit an. 814. cum Carolo M. mortuus post annos Sed. 17.

SECULUM IX.

IV. AISTVLPHVS.

Aistulphus B. Lulli discipulus, in qualem quantumque deniq; Magistrum evaserit, multorum loco sit testis Rabanus, fortè etiam Aistulphi discipulus doctissimus, & in Sede Moguntina

guntina successor dignissimus, qui librum de Institutione Clericorum præter libros alios plurimos, scitissimè conscriptum, cùm Aistulphi consecraret honoribus, hæc libro præfigere verba non dubitavit, instar prototypi posteris relicta: *Te, Sancte Pater, pro merito summe pietatis plurimi venerantur, & omnibus fidelibus, causa magne fidei & sanæ doctrine, honorabilis atque amabilis existis. Te benignissimum atque æquissimum esse scio. &c.* his addidit epitaphium hoc maximè modo scriptum:

Præsulis Haistulphi sita sunt hoc membra sepulchro,
Pontificale sacrum qui bene gessit onus.
Bis senis urbem hanc Pastor qui rexerat annis,
Dogma & Apostolicum protulit ore sacro.
Justitiæ Custos, rectus, patiensque, benignus,
Fidus in eloquiis & pietate placens.
Lulli discipulus, Successor ritè Richolphi,
Ambobus meritis, non minor iste fuit.
Quis te sancte Pater cum Christo nesciat esse,
Splendida quem tecum vita fuisse probat.

Sedit an. 12. sub Stephano V. & Paschali I. Pont. an. 826. mort.

V. OTGARIUS.

OTgarius, aliis Odogarius appellatus, Wione teste nobili loco in Germania natus, & D. Benedicti Regulâ instructus, Principi Monasterio Campidunensi Antistes præfuit omnium primus, haud dubiè D. Hildegardi Augustæ gratissimus. His tamen dictis multùm refragantur Serarius, Bruschius & authores alij, Otgarium hunc nostrum à priori fuisse loco & tempore diversum longè, testati. Archipræsul verò hic noster eorundem authorum testimonio D. Ansgarium unà cum aliis inunxit Episcopum. Danorum Regi Haraldo affudit salutare Baptismatis undas, & Ludovico Pio Cæsari animam agenti adstitit. Obortis dein inter Ludovici filios litibus denuo & bellis gravissimis, nolens volens in Lotharij denique partes consensit, nec seriò refragatus Ludovico